

lita nulloque artificio adjuta, natare, non esse ex eorum numero, quæ naturæ vires excedant; eadem verò ut in aqua limpida liberè natent, citra miraculum fieri non posse.

II. Hæc ut paterent magis, & viam ad sequentia nobis pararent, argento vivo primùm intra vasculum quoddam effuso injecimus, plumbeum, ferreum, æneumque, globulos, omnesque natantes in isto liquore spectavimus; eâ tamen observatâ differentiâ, ut plumbeus æneo, & hic ferreo profundiùs mergeretur, tametsi æneus plumbeo multò major & absolutè ponderosior esset.

III. Mox annulum aureum, absoluto suo pondere istis globis singulis intervallo magno cedentem, in eundem fluorem argenteum projecimus, eumque mergi statim fundumque petere vidimus primâ vice. Verùm cùm alterâ tertiacque vice idem in eodem annulo, ex vasis fundo iterum protracto, tentaremus, hæsit is in summitate Mercurii, ita ut aliqua ejus particula emineret; sed pulsus tamen digito fundum denuò petiit.

IV. Notavimus etiam aliâ vice amici cujusdam annulum unâ cum nostro projectum, pariter eminuisse, cùm noster esset penitus submersus; institutaque postmodum utriusque diligentiore comparatione, vel ex coloris diversitate diversam auri in utroque bonitatem æstimare posse nobis videbamur, indeque modis aliis, aurum melioris notæ à vi- liore dignoscendi, hunc etiam accensere.

V. Quemadmodum autem in uno hoc eodemque liquore diversa corpora gravia diversimodè natare mergi que videramus; ita de uno eodemque corpore in liquoribus diversis, ut idem demonstraremus auditoribus nostris, experientio primùm vulgari ipsorum animos præparare placuit. Ovum igitur gallinaceum recens exclusum in vasculum vietum aquâ limpida plenum ubi demissemus, id fundum vasis confessim petere cernebamus. Mox verò exemptum & posteaquam in eadem aqua salis communis manipulum